

nijis piscariis molendinis molendinorum locis pascuis siluis saltibus venacionibus et cum ceteris aliis pertinentiis expressis et non expressis pro centum et octoginta marcis puri argenti ponderis regni nostri Quod argentum nos recognoscimus leuasse per presentes et integraliter habuisse pure et simpliciter vendidimus iure proprietatis et directi dominij perpetuis temporibus possidendum Transferentes in dominum episcopum et ecclesiam suam predictos necnon et successores ipsius proprietatem plenariam predij supradicti ac plenam potestatem et omne jus memoratam terram curiam siue predium cum ipsius attinenciis et dependenciis supradictis possidendi vendendi obligandi permutandi donandi seu quomodolibet aliter ordinandi de ipso pro sue libito voluntatis Adhibita super hoc sollempnitate legali secundum morem patrie in pretorio puplico siue placito et datis ibi testibus siue firmariis qui fastæ wlgariter appellantur Obligantes nos et heredes nostros ad cauendum nunc et in posterum domino episcopo et sue ecclesie ipsiusque successoribus de empcone dicte terre curie siue predij et ipsius attinenciarum et dependenciarum quarumcunque Nobis et nostris heredibus ac aliis quibuscunque omni facultate prorsus adempta sepedictum predium terram seu curiam cum suis attinenciis predictis impetendi repetendi seu alias quouis exquisito modo ulterius vendicandi Excepcioni eciam non habiti vel in parte vel totaliter dicti argenti vel non numerati seu non legittime ponderati et excepcioni doli ac omni legum et iuris auxilio canonici et ciuilis qui ad irritandum presentem contractum nobis possent aliquo modo suffragari renunciantes penitus et expresse In cuius facti nostri Testimonium et euidenciam pleniorum sigillum nostrum necnon et sigilla nobilium virorum dilectorum nobis dominorum kanuti jonsson dapiferi nostri fulchonis jonsson Haquini læma marskalchi nostri petri liquidson et johannis brunko armigeri nostri dilecti qui huic contractui nostro presentes affuerunt presentibus sunt appensa Datum sudhercopie Anno domini MCCCXI die beati bartolomei Apostoli.

1813.

1311 d. 25 Aug.

Söderköping.

Hertig WALDEMAR stadfästar, på samma sätt som Konung Birger (N:o 1808), Rangvald Ingasons genom Årkebiskop Nils m. fl. uppgjorda testamente.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

WALDEMARUS dei gracia dux svecie, Omnibus presentes litteras inspecturis, Salutem et gratiam, Expositum fuit coram nobis Quod rangualdus ingason

ingason &c. lika med föreg. N. 1808, med uteslutande af orden: "auctoritate regia", till Datum sudhercopie anno domini Millesimo, CCC^o, vndecimo, jn crastino beati bartholomei apostoli.

Sigillet, skadadt i kanterna, på en ur brefvet klippt remsa.

1814.

1311 d. 1 Sept.

Stockholm.

Hertigarne ERIK ock WALDEMAR quittera den af Uplands Lagman Birger Persson för deras räkning hittills uppburna markegäld. (Jfr. N. 1773).

Orig. på perg. i Braheska Bibl. på Skokloster.

Omnibus presens scriptum cernentibus, ERICUS et WALDEMARUS dei gracia duces sweorum salutem in domino sempiternam, Quia dilectus et fidelis consiliarius noster, dominus birgerus legifer vplandie, qui nobis multa et firma fidelitatis seruicia exhibuerat, et adhuc de die in diem, fideliter exhibet et inpendit, certum computum et verum raciocinium super solutione vnus marche dicta vlgariter Markægäld, per ipsum quocienscumque, et quandocumque ex parte nostra collecta, rite et plenarie reddidit ac compleuit, ita quod vndique gessimus nos contentos, constare volumus omnibus euidenter, quod predictum dominum birgerum et suos heredes super prefato compoto et eiusdem racione vltius reddenda, liberos reddimus tenore presentium inperpetuum et quitatos, ablata nobis ceterisque alijs, quicumque fuerint et cuiuscumque condicionis extiterint, omni facultate, ipsos in hac parte aliquatenus aggrauandi seu quomodolibet inpetendi. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum .stokholm. Anno domini. M^o. CCC^o. XI^o. die beati egidij abbatis.

På fränsidan. Littera quittacionis domini .B. per dominos duces de quadam summa pecunia dicta marchgäld.

Sigillen bortfallna, remsorna kvar.

1815.

1311 d. 27 Sept.

Leckö.

* Biskop BRYNOLF i Skara bortbyter sina gårdar i Sätuna och Gätened, med vissa undantag, till sin släkting Thyrner Jonsson och dess hustru Margareta, mot deras gods i Thorsö.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Omnibus presens scriptum cernentibus,, BRYNIULPHUS dei gracia skarensis episcopus,, Salutem in domino sempiternam,, Notum facimus vniuersis, Nos de consilio et consensu capituli nostri cum dilecto consanguineo nostro domino thyrnero joonsson, permutacionem quandam prediorum fecisse per hunc modum, videlicet, quod dictus dominus thyrnerus et vxor sua domina margareta